



PARS I. DE NOTIONIBVS SOLI- TARIIS.

CAPVT I. DE NATVRA NOTIONVM.

§. 1.



Illud, quod intra animum rem repreäsentat, imo ipsa illa repræsentatio, dicitur *notio*, & Graece ex verbo *εἶδος* videre, *idea*; res vero, quae repræsentantur, *res objecta*, & si unitas vocabuli placet, *exemplum* (*).

§. 2.

(*) Ciceronis locutio est de inv. l. 2. *in mutum simulacrum ex animali exemplo veritatem transferre*. In genere enim exemplum est, quod imitandum vel vitandum

A

§. 2. Tenere alicujus rei notionem est rem cognoscere. Facultas vero cognoscens est illa, quam Veteres dicunt intellectum; nam recentiores intellectum omnino dicunt facultatem sibi rem repraesentandi distincte.

§. 3. Facultas illa cognoscens, in quantum id negotium cognoscendi intra animum conficitur, cadit in significantissimam similitudinem visus naturalis.

Similitudo est sacratissima, atque adeo ad significantiam summam scientiam Dei crebro in S. Scriptura frequentata. Ceterum fere in omnibus linguis non modo verba simplicia videre & cernere pro cognoscere usurpanatur, sed & ex similitudine visus multitudo aliarum phrasium ad intellectum pertinentium sumta est, v. g. in lingua Latina, *providere, praevidere, &c. prospicere, respicere, dispicere, perspicere, circumspicere, attendere, acutum esse* (phrasis utique à ferro ad oculos, ab oculis translata ad animum) *decernere, contemplari, considerare, arbitrari* (*). Sicuti quoque huc pertinet verbum *eīdeiv videre* ex quo, *idea, īnpi, & ex eo īsw̄, historia, īsogēw.*

§. 4. In visu, qui fit per oculos corporales, distinguuntur res, quae cernuntur, & ocu-

lus, dum proponitur, ut ideo schesi mutata non modo autographa sive authentica, sed & apographa exempla dici possint.

(*) Continuo arbitretur (h. e. prospiciatur) *uxor gnato tuo* Plaut. Epid. II. 2. 82. *Hinc ego & buc & illuc posero, quid agant, arbitrariet* (h. e. videre) Aulul. IV. 1. 21. Nota quoque est locutio: *remotis arbitris, i. e. videntibus.*

lus, qui cernit. In animo, substantia simplici, haec distinctio vera non est, eoque minus, quod notio utique per se complectitur cogitationem. At licebit hic ea, quae revera disjuncta esse non possunt, haec tenus tantum cogitando distrahere. Igitur in oculi similitudinem cadet ipsa facultas cognoscens cogitando abstracta à notionibus.

Dei quoque summa omnium rerum scientia dicitur in S. Scriptura oculus Dei. Latinis aliquando ea facultas cognoscens, quam nos in nostra allegoria oculo substituimus, dicta est omnino *mens*, imo *mens animi* ut est praeter Catullum apud Plaut. Epid. IV. 1. 4. Aristoteles, qui aperte eandem allegoriam exponit, significacionem metaphorici illius oculi aut visus subjicit vocabulo ΝΟΥΣ: ὡς inquit, ἐν σώματι ὄψις, οὐτων τε
ἐν ψυχῇ.

§. 5. Notiones cadunt in similitudinem imaginum quasi oculo intelligentiae objectarum; sicut ordinata earum multitudo in similitudinem tabulae aut picturae.

Praeter Platonem, Aristotelem & alios animum cum tabula comparantes Apostolus Paulus nominat credentes Corinthios ep. 2 ad Cor. III, 3. epistolam scriptura distinctam, eorumque animos tabulas.

§. 6. Ipsum negotium perceptionis notio-
nis porro naturam ideae assumit, & porro per-
cipitur. Haec perceptio perceptionis, quasi
videamus nos videre, dicitur *conscientia* (sen-
su metaphysico) dicta ob hanc causam a Leibni-
tio *adperceptio*. Ea facultas cadit in similitudinem

oculi novi ejusmodi, cui ipsa retinae tabula, ejusque concussio per reflexionem objiceretur.

In tota vero hac comparatione intellectus cum visu illud in universum tenendum constanter est, prodigiosas facultates animi, cum sui conscientia perpetuo actuosi, cui ipse oculus instar bruti est instrumenti, ejusmodi esse, ut si ad explicationem penitioris naturae ventum est, similitudines imaginum, tabulae & oculorum repente evanescant.

§. 7. Residua factae perceptionis notio potest pergere percipi. Haec continuata perceptio, quasi pergaimus videre nos vidisse, dicitur *memoria*.

§. 8. Etiam Perceptio praeterita h. e. residua illius praeteritae perceptionis notio potest de novo percipi. Ac haec repetita perceptio perceptionis praeteritae, quasi revideamus nos vidisse, dicitur *reminiscensia*.

§. 9. Sunt notiones vividae, quae ita perstringentes sunt, ut animo conscientio sese ultro & per se repraesentent. Sunt aliae, quae non nisi vocatae veniunt. Nimirum voluntas hanc in cognoscendo partem habet, ut, sicut oculum corporalem ad res objectas claudere, tendere, aperire aut dirigere potest, sic quoque facultatem cognoscentem in notiones earumque rationes quam claudere, aperire, tendere aut obvertere possit.

§. 10. Ordinata multitudo notionum est similis tabulae aut picturae. Itaque negotium dedita opera mutandi, corrigendi, augendi aut confirmandi notionem notionibus, potest simile esse
nego-

negotio pictoris, qui imaginem corpoream ad lineamenta demenda, inducenda vel clariora facienda sub manum revocat. Hoc vero negotium in representatione notionis potest adesse vel abesse. Atque inde divisio notionum in notiones, in quibus nil quicquam negatur aut affirmatur, & in notiones, de quibus negatio vel affirmatio fit. Nos priori generi notionum, quas quanquam ex innumeris aliis notionibus compositas, tamen animus sibi representat sine ditta opera eas afficiendi, non possumus significantius nomen reperire, quam si eas dicimus *notiones solitarias aut coelibes*. Tum vero illas binas notiones, quae sociantur eo dedito consilio, ut altera alteram afficiat, dicemus *notiones sociatas* & uno nomine *cognitiones*. Nominatio haec magis magisque sepe probabit per compaginem libri reliquam.

CAPVT II.

DE ORTV NOTIONVM IN ANIMIS HOMINV M.

§. 11. **Q**ui animum nostrum nullo alicujus organi intervallo solo jussu voluntatis jussit ex nihilo prodire, eum per se certum est, posse quoque manu quasi contigua nullo instrumenti aut sensuum interventu in hunc eundem animum sive orientem sive jam existentem, notiones informare. Cujusmodi ortus rationem

A;

necessitatem

necessè est fuisse notionibus divinorum mysteriorum, quas illi viri acceperunt, quibus eas Deus informavit primis.

§. 12. Ceterum hoc loco nonnisi assumimus, ut rem inductione experientiae stantem, illas notiones, quae animo non informatae sunt manu quasi contigua Dei, omnes informari ex exemplis rerum per sensus, atque si exemplum intra animum est, sola perceptione interna: ita quidem, ut ex notionibus hoc modo informatis animus intra se possit formare notiones novas &c.

Notio simulatque dedita opera cum suis notis cogitatur, induit per se naturam cognitionis (propositionis.) Quare cum notionum & cognitionum nascentiae ratio ad idem recidat, infra vero de ortu & propagatione cognitionum data opera agendum sit, superiora illa hic tantum praecise dicta sunt.

Quomodo animus ex notionibus sibi informatis formet novas.

§. 13. Omnes fere & singulae notiones videntur ex aliis aliquibus notionibus compositae, nam & ipsas quasque res simplicissimas vix sine cogitatione plurium notionum cogitare licet. Praeterea nulla est notio, quae non variis modis extra se cum aliis notionibus cohaereat, hoc est, omnifaria adjuncta habeat. Cum vero res voluntatis sit mentem à notionibus his, illis, avertere, obvertere, atque ipsas has aversiones & aversiones infinitis modis miscere; apparent per se,

se, id quod sua quemque experientia satis docere potest, esse animo in notionum in animo existentium formas vim quasi infinitam: hoc est, habere animum patentissimam facultatem ex notionibus jam informatis & existentibus faciendi sibi notiones alias atque alias novas; sive illae in rebus habeant exemplum, sive minus.

§. 14. Facultas illa faciendi ex notionibus jam existentibus alias atque alias novas versari potest primo in *componendo*; sive id fiat consilio tantum fingendi, sicuti si alas & equum compono, adjunctis quibusdam rationibus externis, ut inde fiat notio Pegasi; sive id fiat per ipsum studium veritatis, sicuti si notiones compono, quae particulatim verbis informatae sunt. Sed & est quaedam notionum compositio, quae suo modo arbitraria est, nec tamen veritatem afficit; sicuti si per occasionem notabilium terminorum aliis complexus est quatuor annos eosque nominavit Olympiada, aliis annos quindecim, eosque nominavit Indictionem &c. Sic cum complectamus rei alienae ablationem factam inscio & in-vito domino lucrificiendi causa, eamque dicamus furtum; demta vero ignoratione domini, rapinam; fieri quoque potest, ut alicui libeat cum notione furti congregare multitudinem aliarum notionum, easque omnes similiter complecti nomine uno & notione una.

Deinde etiam eadem facultas eadem opera versatur in *dividendo*, *separando*, *plane removen-*

do &c. sed majoris considerationis erit facultas abstrahendi.

De ortu notionum substantiae & accidentis, uti vocant, praedicamentalis; item essentiae, attributi & accidentis &c.

§. 15. Nulla res, quantumvis simplex, est sola, hoc est, res sine re. Nam si non ipsa partes habet, sunt tamen plures distinctae externae res, ad quas sese referat, & referre possit. Itaque nulla est res, in cuius notione animus non possit plura discernere. Tum vero idem animus, qui plura discernit, potest quoque non modo haec aut illa à re abstrahere h. e. seorsim cogitare v. g. angulos seorsim à triangulo, partes superficie confusa oculis perceptas seorsim à corpore, sed & earum rerum notionibus eam formam induere, quae concrecentiam in vagum implicet cum re qualibet, eo consilio, ut eae notiones abstractae per suam formam possint applicari notionibus rerum quarumlibet. V. g. postquam à triangulo anguli cogitando abstracti sunt, potest animus his angulis hanc formam induere, ut cogitet non *anguli* sed *habens angulos: angularis:* quo facto notio illa *habens angulos* quarumlibet rerum notionibus, prout opus est, applicari potest; sicut certe *angularis* tantundem est ac in genere *res angularis*. Sic ex notione abstractarum superficie partium confusa oculis perceptarum, fit, *habens has illas superficie partes &c. h. e. coloratus: ex notione corporis humani ab animo humano abstracta*

abstracta & in vagam applicationem transformata, fit: *junctus corpori*.

Atque haec in quamlibet applicationem abstracta notio est Grammaticorum *concretum* & *Adjectivum*.

§. 16. Res supra commemorato modo in vagam applicationem abstracta, potest porro per novas res cognosci & ad abstractionem vocari. Quare ut notio abstracta posset porro suis attributis subjici, animus nova abstractione formam concretionis abstulit, v. g. ut ex pius fieret pietas, pium esse. Et haec genesis *substantivorum abstractorum*.

§. 17. Illud quod per omnes abstractiones cogitatur remanere tanquam subjectum & fundamentum ejus, quod abstractum est, dicitur *substantia*. Id quod à substantia abstractum est, dicitur scholasticis *accidens praedicamentale*, Cartelianis *attributum*, aliis *praedicatum entis*.

§. 18. Vniuersusque rei notio repreäsentat animo complexum notionum plurium, quarum alias atque alias animus abstrahere h. e. seorsim cogitari possit. Illa vero, quae abstractioni obnoxia sunt, ita alia in aliis fundata sunt, ut imum eorum fundamentum abeat ad rationes pauciores, videlicet ad eas vires aut partes, quae primae cogitantur rem illam sui nominis aut suaे notionis facere, quo pertinet omnino modus, quo res orta est, aut oriri potest. Hae vires aut partes, quae primae cogitantur rem sui nominis facere

& proinde rationem sufficientem in se continent, cur cetera vel insint vel inesse possint, dicuntur *rei essentia*: sicuti nitrum, carbo & sulphur atque modus, quo illa sua proportione inter se esse miscentur & elaborantur, conficiunt essentiam pulveris pyrii.

§. 19. Essentia potest considerari ut constans essentialibus pluribus. Si ea universa cogitantur, sunt omnino ei rei, cuius sunt essentia-
lia, adaequata, & propria. Sin scorsim hoc tan-
tum vel illud cogitatur, potest, ut sint *communia*
v. g. essentiale pulveris pyrii commune erit *sul-
phuratum esse*.

§. 20. Quia essentia complectitur omnia
ea, per quae res aliqua id est, quod est, consequi-
tur, ut notio essentiae à notione ipsius rei non ali-
ter sit distincta, quam notio eadem resolutior &
abstracta, à notione eadem minus resoluta &
plena: ut ideo quoque ad ineptias abire possit
quaestio illa, utrum essentiae rerum sint aeternae
& immutabiles, an minus.

§. 21. Essentia rei cognoscitur, si particu-
latim cognoscitur modus, quo res oritur aut ori-
ri potest. Fieri vero solet, ut compendii gratia
eum modum implicite & generatim tantum co-
gitemus per ultimum illud essentiale, quod essen-
tiam consummat v. g. si dico: *speculi essentia pos-
ita in eo est, quod aptum ad id est, ut res per id re-
flexis ordine radiis cerni possit*: generatim hac co-
gitatione implico articulos modi illius, quo id af-
sequi-

sequimur. Aut si in re Theologica dicimus. *Fidei essentia posita est in flagranti desiderio Christi ejusque salutis,* involvo generali cogitatione eum gradum cognitionis rerum divinarum vivaे atque vividae, ex quo ista animi affectio proficiscatur.

§. 22. Illa rei conditio, quae ex essentia rei necessario manat aut consequitur & proinde in subjecto rationem sufficientem habet, dicitur nostrorum temporum philosophis *attributum* & quidem *proprium*, si ex essentialibus universis; *commune*, si ex essentialibus communibus consequitur v. g. nigror pulveris pyrii, qui consequitur tantum potissimum ex carbonibus, est attributum commune, quod non soli pulveri pyrio convenit.

§. 23. Illa rei conditio, quae non in solis essentialibus rationem sufficientem habet, dici solet *accidens* & quidem *pradicabile, modus:* & est ejusmodi, ut sive absit à re, sive adsit, essentia eadem maneat v. g. quod pulvis pyrius funestus fuerit huic, illi. Nam ad hujus rei rationem sufficientem concurrunt non modo essentialia pulveris pyrii, sed & multae aliae rationes ipsius personae funestatae &c. Hic plura dici possunt, sed non sunt tanti.

Sequitur vero ex superibus haec divisio, ut abstractum substantiae sit triplex: vel *Essentiale* §. 18. vel *Attributum* §. 22. vel *Accidens* sive *modus* §. 23. Vnum quodque horum vel *proprium* vel *commune*.

§. 24.

§. 24. Notabilis singulatim est abstractio, quae facta est in notione corporis ratione tam extensionis, quam motus, ad genesin notionum *spatii & temporis*. In quo negotio primum notandum, motum corporis esse quasi genus extensionis secundarium, quandoquidem omnis natura motus imitatur naturam extensionis. Notio vero aequabilis extensionis abstracta à corpore extenso facta est *notio spatii*; notio aequabilis motus abstracta à corpore moto facta est *notio temporis*. At vero ad motum referri debet, quodcumque in hoc negotio aequabilis motus vicem imitari potest, quales sunt cogitationes aliae aliis succedentes. Aequabilis vero motus Solis aut alius alicujus rei se itidem habet ad notionem generalem temporis, ut mensurae cubitorum, stadiorum aut milliarium ad notionem generalem spatii.

§. 25. Etiam alia in animis fere omnium hominum notabilis abstractio facta est ex notione corporis. Quemadmodum enim corpus extensum est triplici directione in longum latum & profundum, ita postquam notio materiae abstracta fuit ab omni notione extensionis, orta est *notio puncti mathematici*. Abstracta longitudine à latitudine & profunditate orta est *notio lineae*; abstracta longitudine & latitudine à profunditate, *notio superficiei*.

De individuis & modo originis notio-
num generis & speciei.

§. 26. Si ex metaphora visus loqui pergi-
mus, negotium abstractionis Logicae, uti jam
innuimus, in genere positum est in variis facul-
tatis illius, quae quasi oculus intellectus est, ab
hac illa quamvis inseparabili notione aversioni-
bus & ad has illas obversionibus.

Longe vero lateque patentissimum genus
abstractionis hoc erit, si neglectis ceteris, quam-
vis innumeris rei alicujus rationibus, conditio-
nibus aut modis, mentem tantum obvertimus
paucis ejusmodi rei conditionibus, quae multis
rebus sunt communes. v. g. Hic liber, quem
forte ob oculos & in manu positum habes, tam
innumerabilibus constat partibus & proprietati-
bus, ut in omni rerum universitate nil quic-
quam sit, quod plane idem sit atque hic liber,
nedum ille idem liber esse possit, quem hoc ipso
momento hoc loco, hac manu &c. teneo. Pos-
sum vero innumerabili multitudine proprieta-
tum neglecta animum tantum obvertere iis con-
ditionibus, quod v. g. illa res sit corpus folia-
tum, accommodatum ad recipiendam scriptu-
ram. Simulatque haec abstractio facta est, ecce,
notio *bijus* libri, abit, abjecta demonstratione,
in notionem *libri*, & notio, quae antea anguste
ad rem singularem tantum pertinebat, comple-
ctitur nunc numerum rerum inexputabilem, li-
bros, qui fuerunt, sunt, futuri sunt & fieri
possunt.

possunt. Atque hoc genus abstractionis, ejusque in animo facultas est vastum illud ad longe lateque provehendas cognitiones humanas à Deo prospectum quasi vehiculum.

§. 27. Res in cuius notione nulla ad communionem plurium notionum abstractio facta est, dicitur *individuum*; & ipsa notio ejusmodi rei, *notio individui*, sive *notio singularis*: sicuti individuum est: *hic liber, ille iste homo, Petrus, Titus &c.* item res quaevis, qualis sensibus percipitur. Notio vero, in qua ejusmodi abstractio facta est, *notio universalis* appellatur, qualis est notio *libri in genere*.


§. 28. Per se apparent, notiones universales non esse utique omnes aequae universales, sed prout porro alia atque alia abstractio facta aut non facta est, magis vel minus universales v. g. notio *canis* est notio universalis. Non habita ratione naturae ejus, quae canem omnino canem facit, sed abstracto inde tantum corpore vivo sentiente cum quatuor pedibus, fit notio magis universalis, notio quadrupedis. Neglectis pedibus ex abstractis ceteris fit notio animalis. Neglecto porro interno sentiendi & movendi principio, notio corporis &c. Notio, à qua, ut ita loquar, tantum abrasum est, quantum abradi potuit, est notio illa, cum cogito rem, *aliquid*.

§. 29. Notio universalis comparata ad notionem suam magis universalem, dicitur *species*: Com-

Comparata ad notionem sibi subjectam minus universalem, *genus*. *Species infima* dicitur, quae proxima est notioni individuae v. g. notio canis, nisi ipsos canes antea in species dividere velis: *genus summum*, in quo non porro abstractio fieri potest v. g. *res*, *aliquid*. Eadem opera intelligitur, quid sibi velit, *genus proprius*, *proximum*, *remotum*, *remotius* &c.

§. 30. Genus complectitur plures res, quam species, & species complectitur plures, quam singularis notio individui. Quare genus dicitur *latius* sua sibi subjecta specie, species *angustior* suo genere, neutrum neutri *adaequatum*.

§. 31. Sed si rationem habeas cogitationum, & quaeras, utrum duorum sit gravius & ponderosius ex cogitationibus, genus, an species: hoc est, plusne cogitare debeas, si genus cogites, an plus, si speciem aut individuum; in promtu intelligere est, esse cogitatione gravissimam notionem singularem individui, leviorum notionem speciei; eandem tamen graviorum, si comparetur ad notionem sui generis: nam certe plus cogitare oportet, si *animal quadrupes* cogitas, quam si omnino *animal*. Ergo levissima est, ut ita loquar, cogitatio, si *rem* aut *aliquid* cogites. Quare etiam nulla ibi locum habet notionis analysis, id quod intelligas, si quis te interroget, quid *res*, quid *aliquid* sit.



CAPVT III.

DE PERFECTIONE NO-
TIONVM.

§. 32. Imaginis pictae perfectio posita est in similitudine cum suo exemplo, ut ita quaeque imago sit perfectissima, ut ea est exempli sui simillima, & ad id conformatissima. Itidem fere notiones quoque perfectae sunt, si earum rerum similes, sive ad eas res conformatae sunt, quas repraesentare debent.

§. 33. Imaginis cum exemplo suo convenientiae gradus positi sunt in numero earum partium, quae *eis tautōnta* (in identitatem) partium exempli incurront, ut ita quaeque imago sit perfectissima, ut ea plurimas partes cum partibus exempli convenientes repraesentat. Similiter fere gradus convenientiae notionum cum rebus eo major erit, quo ea notio plures rationes, conditiones aut partes rei subtili convenientia repraesentat.

De notionum claritate, distinctio-
ne, &c.

§. 34. Omnes res in mundo, in quantum singulae earum numerum augent, inter se sunt distinctae. Itaque notiones, quo magis exemplorum h. e. rerum repraesentatarum sunt similes, eo magis inter se sunt dissimiles: h. e. eo magis

gis inter se dignoscuntur: Consequitur, ut fere idem sit, dicere: perfectio notionum posita est in subtili conformatione earum ad exempla suarum rerum, & dicere, perfectio notionum posita est in eo, si notiones inter se discernuntur.

§. 35. Notio, quae ab aliis notionibus non discernitur, dicitur *notio obscura*, denominatione utique aperte allegoriam visus praesertim ferente. Quare notio obscura fere similis ei rei, quae per tenebras, crepusculum aut nebulas ita cernitur, ut ex nulla parte aut figura ab aliis discerni possit. Esto vero e. g. notio obscura notio *Saxoniae* non hausta nisi ex tabula repraesentante totum orbem terrarum. Tales innumeræ notiones in animalibus infantum & aliorum insignite rudium.

§. 36. Obscuritas notionis suos gradus habet ex gradu paucitatis notarum, quibus ea dignoscenda esset, & inde ex numero rerum, à quarum notionibus eam discernere non possis. Obscurissima erit, quae à nulla discernitur, qualis v. g. possit esse notio *stellae marinae* in animo alicujus, qui extra quam, quod scit, esse aliquam rem, quae ita nominetur, nesciat, utrum ea res in coelo an in terra quaerenda sit. Minus obscura erit v. g. notio *stellae marinae* in animo alicujus, qui nesciat eam discernere ab hoc, illo, isto genere piscium &c. attamen sciat animal marinum esse, atque eo ipso dignoscat ab innumeris rebus, quae non sunt animal marinum & sic porro.

§. 37. Notio quae ab omnibus aliis discer-
nitur, dicitur ex continuata metaphora rei opti-
cae, *notio clara*: qualis est notio faciei hominis
necessarii aut amici, cuius quotidianus usus est.

§. 38. Sicut obscuritas ita notionis claritas
innumeros suos habet gradus, atque ita eandem
graduum rationem, ut minores atque minores
gradus claritatis in contrarium praetervehantur
minores atque minores gradus obscuritatis.

§. 39. Quod ad res attinet, quas diximus
omnes inter se esse distinctas; utique necesse est
esse in hac re aliquid, quod in aliis non est.
Quod similiter ad notionem claram attinet, cum
ea ab omnibus aliis notionibus discernatur, ne-
cessere est repraesentari in hac notione aliquid,
quod in aliis notionibus non repraesentetur, &
proinde fundamentum differentiae esse possit.
Illud, quod in notione clara inest, nec idem in
ulla notione, & in quo proinde differentia notionis
posita est, dicitur *characteristica* aut sim-
pliciter *nota*, commodo vocabulo ex ver-
bo *nosco*.

§. 40. Nota notionis est ipsa porro notio.
Quare notio notae incurrens in eandem natu-
ram porro vel obscura esse potest, vel clara.

§. 41. Notio, cuius notae notio obscura est,
dicitur *confusa* qualis est non modo omnis notio
obscura, sed & omnis ea clara notio, cuius no-
tam aut notas seorsim non possis cogitare aut
verbis exprimere v.g. notio faciei patris tui, qui-
cum

cum tibi quotidiana consuetudo est, aut notio manus (i. e. modi pingendi literas,) amici tui, quam dignoscis ab omnibus aliis manibus. Signum notionis confusa est, uti jam innuimus, si non cogitare aut dicere possumus, quid id sit, ex quo hanc rem ab alia dignoscimus, id quod evenit, si interrogamur v. g. quid id sit, ex quo colorem rubrum à viridi &c. aut in re Musica sensum quintae à sensu tertiae &c. dignoscamus. Nam certe cum rubrum ab aliis coloribus differat, & ego rubrum ab aliis coloribus discernam, est certe aliquid in rubro & aliquid in mea notione ruboris, quod in aliis coloribus & meis notionibus aliorum colorum non est: At quia illae partes superficie &c. quae differentiam faciunt, sunt inexplicabilis subtilitatis, earum perceptiones & notiones sunt tantum confusissimae.

§. 42. Notio, cuius notae notio clara est, dicitur *distincta*, qualis dici possit notio tabulae Geographicae coloratae Europae, si possum cogitare & dicere, quaenam sit ejus figura & partes, quibus ab aliis aliarum partium orbis terrarum tabulis dignoscatur: nam ipsa ea figura & partes tum sunt notae illae, quas clare cognosco h. e. ab aliis discerno. (Alia vero ratio erit notionis ejus tabulae Europae, quam forte ob oculos habes, si ea consideretur ut notio singularis rei individuae. Nam illa notio comparata ad tabulas ejusdem exempli, cupri aut incudis, est non modo non distincta, sed & nisi peculiariter signata sit,

obscurissima.) Ceterum signum notionis distinctae est, si cogitare aut dicere possumus, quid id sit, ex quo rem ab aliis rebus distinguam. Quare omnes notiones distinctae sunt, quarum definitiones recte teneo & intelligo.

§. 43. Potest, ut notio aliqua insignem gradum claritatis & distinctionis habeat, in quo tamen non satis multae notae sint, ut res in quavis sua conditione & omnino ab omnibus dignosci possit, qualis est v. g. notio plantae, quae tibi ejusmodi notas repraesentat, quibus plantam tantum ut florentem ab aliis plantis dignoscis. Notio vero, quae non repraesentat tot notas, quot satis sunt, ut res semper & omnino ab omnibus aliis rebus dignoscatur, dicitur notio *incompleta*: si secus *completa*.

Quid sit notio *abundans*, vocabulum per se docet. Notio *complexa* est notio individui aut notio minus universalis notis aliquibus distincta, comparata ad notionem suam magis universalem. Non vero est, quod vocabula technica, quorum ne verus quidem aliquando numerus intellectiois atque memoriae pretium praestat, temere multiplicentur.

§. 44. Distincta notio ea dicta fuit, quae notae claras repraesentat. Notae notionum sunt ipsae porro notiones. Itaque illas notas claras necesse est porro habere suas notas, easdemque vel obscuras vel claras: h. e. ipsas illas notas priores necesse est esse vel confusas vel distinctas. Notio, quae notas confusas repraesentat dicitur *inadae-*

inadæquata; si secus *adæquata*. Et quia alia atque alia nota porro suas alias atque alias notas repraesentare potest, facile intelligitur, quid sibi velint Logicorum illa nomina technica: *primus gradus adæquationis*, *secundus* & sic porro. Nam *primus gradus* est, si distinctae notionis nota primum distincte cognoscitur.

§. 45. Summa superioris divisionis notionum haec est: Notio est vel *obscura* vel *clara*. Clara vel *confusa* vel *distincta*: Vtraque vel *incompleta* vel *completa*. Notio *distincta* vel *inadæquata* vel *adæquata*. Facillimum quidem exemplum esse possit: si dicamus: notio *obscura* se fere itidem habet ad facultatem animi cognoscentem, ut Germania in tabula totius orbis terrarum se habet ad oculos: notio *clara* sed *confusa* itidem fere, ut se habet ad oculos Germania in tabula colorata Europæ: notio *distincta* & *inadæquata*, ut Germania in tabula colorata Germaniae: notio *adæquata*, ut Germania in Atlante repraesentante simul clare aut etiam porro diversis coloribus Austriam, Bavariam & partes Germaniae ceteras innumeratas.

§. 46. Quemadmodum ad studium distinctarum notionum rerum plurimarum corporearum incredibile quantum contulerunt inventa *microscopia* & *telescopia*; ita per allegoriam rei opticae ipsum negotium faciendi sibi notiones distinctas & porro distinctiores comparari possit cum eo negotio, cum id, quod vel propter par-

tium exiguitatem, vel nimiam longinquitatem ab aliis rebus corporeis dignosci non potest, subjecimus microscopio vel telescopio, alii alio perfectiori.

§. 47. Itaque studium distinctarum notionum versatur quasi in *resolutione, evolutione* sive *explicatione notionum*, quae etiam Graece dicitur *Analysis*.

§. 48. Quae mens rerum dignarum multas distinctas tenet notiones, dicitur *illuminata*: gradu illuminationis versante tum in numero rerum earum dignarum, tum in gradu earum dignitatis, tum in gradu ipsius distinctionis.

De Definitione.

§. 49. Negotium illud, cum quis sibi aut aliis ex notione confusa facit ordine & compendiose notionem distinctam atque completam, dicitur *definitio* v. g. *Lex sunt notiones actionum earum liberarum, quas is, qui remunerari potest & ulcisci suo tempore & loco representari vult, (similes propterea regulae.)* Tum notio ea, quae consideratur ut confusior, dicitur *definitum*, notio illa resoluta distinctior, *definiens*.

Quod si ideae verbis exprimuntur, *definitum* est verbum illud, quod distingueat notas non indicat, quale in superiore exemplo vocabulum *lex*; *definiens* vero verba illa plura, quae notionem resolvunt, qualia in superiore exemplo *notiones actionum earum &c. definitio* denique cogitatio, pronunciatio aut scriptio verborum illorum universa.

§. 50.

§. 50. Itaque ex allegoria visus definiens à definito similiter fere differt, ut res minutior repraesentata oculis nudis à re eadem repraesentata oculis adjutis; aut ut facies Europae in globo à facie ejusdem Europae in tabula Europae. Aut totum negotium definitionis simile fere erit negotio pictoris, qui imaginem, ad speciem rei vel personae longinquae pictam, ita sub manum & penicillum vocat, ut eam ad speciem personae vel rei ejusdem propinquioris interioribus linearimentis distinguat.

§. 51. Definiens debet repraesentare notionis aut rei suae notas. Notae vero, tantisper dum ut notae considerantur, sunt notiones abstractae. Itaque necesse est, ut primo loco subiectum aliquod cogitetur, quod notas illas continet. Quoniam vero notionis analysi agitur, resolvendae in notiones plures, necesse est, ut subiectum repraesentet aliquid de notione definienda, at non omne. Consequitur, ut itaque prima pars definientis debeat esse genus.

§. 52. Si definias hac forma ut v. g. cogenites aut dicas: *horologium indicat horas diei. Honor est tuus, si quis notiones suas tuam perfectionem repraesentantes significat actionibus;* fundamen-tum notas sustinens est implicite *res: aliquid:* quasi dicas: *horologium est aliquid,* quod &c. id quod est genus multum remotissimum, summum, cognitionis levissimae, & distinctum à re nulla
§. 51. Quoniam vero praestat, per genus jam

tantum distinctionis atque notarum occupari, quantum per notas necessario adjiciendas fieri licet; res diligentiae est, ponere in definitione genus omnino proximum v. g. *horologium est machina: honor sunt actiones*, (sc. quibus quis significat &c.)

§. 53. Definitio debet notionem ita distinctiorem facere, ut notio maneat eadem h. e. ut definiens sit adaequatum definito. Si definito solum genus apponitur, definitum omnino est species illius generis. Genus vero, quia minus cogitationis habet, quam species §. 31 consideratur ut levius sua specie. Itaque oportet generi aliquid adjungi, quod adaequationem compleat. Hae sunt notae notionis. Eae vero notae, quae generi adjiciuntur, ut complementum adaequationis, dicuntur *differentia specifica*, quia per eam definitum distinguitur à speciebus sororibus.

Not. Finge, quasi definitum & genus in altera atque altera librae lance sint posita. Genus videlicet à gravitate praeponderantis definiti quasi elevatur. Differentia specifica erit id, quod generi adjicitur quasi ad faciendam aequilibritatem.

§. 54. Notae quoad considerantur ut notae, sunt suae rei propriae & notiones abstractae. Itaque notae illae, quae differentiam specificam faciunt, sunt vel *essentialia propria* vel *attributa propria*.

§. 55. Essentia rei intelligitur, si intelligitur modus, quo res orta est h. e. si intelligitur rei illius

lius genesis. Definitio, in qua notae, sive differentia specifica repraesentat modum, quo res orta est, aut oriri potest, dicitur *definitio genetica*, & nostris temporibus etiam *definitio realis*: qualis esse possit: si dico: *speculum planum vulgare est instrumentum opticum vitreum, quod fieri potest, si impositam ligneae tabulae chartam bibulam trita creta conspergas &c. tandem foliis stanni Anglicani, imbutis argento vivo, imprimas tabulam vitream politam, quo fiat, ut obstructis suis meatis bus reflectantur radii &c.* (Nam & addendum, quid singuli confectionis articuli ad rem conferant.) In notionibus abstractis idem fieri potest. Ex re Theologica exemplum esto: *Peccatum in Spiritum S. est peccatum inexpiable, quod committitur, si quis perculsus prodigioso splendore evidentiae rerum divinarum, ita majoribus sacri odii furiis agitatur, ut virus Stygiae acerbitatis evomat in proximum objecti splendoris auctorem, qui est Spiritus S.*

§. 56. Definitio genetica perfectior erit, quae genesin gradibus pressioribus explicat. Minus perfecta, quae saltibus & enumerandarum partium nascientiae insignibus lacunis rem agit. Hujus generis erit, si v. g. dicam *Rifus nascitur ex iis, quae nostra opinione absurdâ sunt.* Haec enim fere perinde erit genetica, ut si dicam: *Malus est arbor, quae oritur, cum tale tibi notum semen terrae mandaveris.* Explicatio enim modi originis non progreditur particulatim usque ad id, ex

quo interior rei essentia & ratio sufficiens attributorum intelligi queat.

§. 57. Quoniam in materia & modo compositionis rerum corporearum posita est ratio sufficiens attributorum omnium; appareat, definitionem geneticam, si partes originis ordine & pleniuscule explicat, habere ad scientias rerum corporearum aliquid praecipui.

§. 58. Per se vero jam appareat, definitionem geneticam Dei, quod Deus genesin non habet, nullam esse; nec per conditiones animi & rerum humanarum fieri posse, ut plene genetica definitione definiantur notiones singulares individuorum, nedum notiones individuorum spiritualium.

§. 59. Tam essentialia, quam attributa communia (vid. §§. 19. 22.) Si eorum tantum aliqua inter se aut promiscue conjunguntur, facile ejusmodi sunt, ut per ipsam suam conjunctionem propria evadant & vicem notarum praestent v. g. *pulveris pyri essentialie commune est, sulphuratum esse*; *attributa communia sunt nigredo, salitas, quod granulatus est, quod concepto igne rapidissime deflagrat &c.* Haec sunt propria, si haec aut illa conjunguntur v. g. *nigredo juncta salitati & ei, quod materia sulphurata & granulata.*

§. 60. *Attributa rei dicuntur, quae ex essentia rei necessario manant.* Id quod quoque docet, attributum à fonte essentiae vel proprius vel longius abesse posse h. e. attributum vel interius esse,

esse, quale est v. g. in tritico sua figura & major granorum densitas & interioris nuclei albor: vel exterius h. e. magis ad peregina fese referens, quale est v. g. in tritico aptitudo ad id, ut inde farina capillaris fieri possit. Definitio, in qua notae sive differentia specifica constat attributis propriis iisdemque interioribus h. e. essentiae prioribus dicitur nostris temporibus *definitio nominalis* v. g. *pulvis pyrius est materia sulphurata nigra & granulata, concepto igne rapide deflagrans.*

§. 61. Quoniam unaquaeque res potest habere magnam multitudinem essentialium aut attributorum; eorum vero pauca aliqua satis esse possunt, ut per conjunctionem propria evadant, consequitur, ut definitiones nominales per libertatem eligendi notas sint eatenus arbitariae.

§. 62. Scire scribere est accidens ratione hominis, quia postulat praeter naturam aut essentiam hominis etiam fundamentum in aliis aliquibus rationibus v. g. ut institutio accedit &c. Accidens vero in attributum abit simul atque conditio adjungitur v. g. *scire scribere, si ceteris paribus institutio accesserit, aut facultas discendi scribere*: nam hoc pacto cogitari debet ex essentia rei necessario manare. Quare ex accidentibus levi inclinatione attributa & ex eorum quorumcunque conjunctione pro re nata porro attributa propria h. e. notae fieri possunt.

§. 63. Illud simulacrum definitionis, quod fit, si pro notis ponimus attributa propria à fonte essentiae longius manantia & ad peregrinas notiones relata dicitur *descriptio*, qualis est si v. g. diceri velim. *Triticum est genus frumenti quam maxime ad id aptum, ut farina capillaris inde confici possit* (*).

Sunt res, quarum ipsa essentia non consummatur nisi accidentibus notionibus peregrinis v. g. essentia hominis honorati consummatur per notiones, quae sunt in animo alterius repraesentantes hominis honorati dignitatem. Essentia furis consummatur per rem alienam, ejusque ablationem &c. Ergo si ad figendas notiones ejusmodi notae quamvis ad res peregrinas spectantes cogitantur, non *descriptio*, sed *definitio* est.

§. 64. Individuorum, quia extra damnum abstractionis sunt, essentia posita est in omni eo, quod ea sui singularis numeri facit. Itaque quoniam eorum, praesertim personarum notiones ut plurimum discernuntur per eventa & adjuncta exteriora, quae si non singula, saltem aliquo numero conjuncta, notas characteristicas conficiunt, singularium notionum personarum vulgaris determinatio *descriptio* est.

§. 65. *Descriptio quoque dicitur, si notioni distinguendae consulitur per comparationes v. g. cum dico: Corylus est arbor, qualis illa, quae*

(*) Ejusmodi notae sunt similes notis, qualibus pictor utitur, qui Salomonem depingit qualicunque Regia facie, pro tribunalí vero jus dicente inter duas meretrices.

quae est ad maceriam illius borti. Aut Elephas est quadrupes, quale in eo libro depictum & descriptum vides. Haec non tam notionem explicat, quam viam indicat, unde explicatio arcessi possit.

§. 66. Ex cognita natura notionis distinctione & proposito definitionis appareat, quid sibi velint hae regulae:

- 1) Definiens debet esse adaequatum suo definito, h. e. eo nec latius nec angustius.
- 2) Cui convenit definiens, ei quoque convenit definitum.
- 3) Sicut definientis notiones debent esse clarae, ita quoque clara debent esse verba, quibus definiens exprimitur, & eadem eandem ob causam sententiae fixae, propriae & solitae.
- 4) Definitioni non licet idem per idem explicare.
- 5) Quia definiti notio consideratur ut confusior & proinde definiens debet repraesentare notiones resolutas, definito non licet esse partem definientis.
- 6) In definitionibus non est committendus circulus: Nominant vero in hoc negotio circulum id vitium definitionis, si eae notiones, quibus definitum explicatur, postea rursus per definitum explicantur aut explicari debent.

De divisione.

§. 67. Notio universalis distincta à speciebus sororibus, si refertur ad notiones sibi subiectas,

etas, notio confusa est, & quidem dedita opera ex notionibus singularibus confusa facta, ut una cogitatione res multas complecti possemus. Itaque in quantum huic consilio satisfactum est, in tantum ad distinguendas & resolvendas notiones rursus magni interest, ut retrogrediamur ad distinctionem earum notionum minus universalium, quibus notio universalis originem suam debet: hoc est, ad perfectionem notionum plurimi interest, scire, cui generi quae species subjectae sint, & quae huic speciei notiones etiam angustiores.

§. 68. Quoniam corpora ex partibus minoribus minoribusque composita sunt, omnia vero hic versantur in notionibus distinguendis & ad exempla sua conformandis, consequitur, ut ad distinctionem & perfectionem notionum magni interficit scire, quaenam sint totius aliquibus partes.

§. 69. Si aut genus in suas species, aut totum in suas partes resolvimus, ea dicitur *divisione*: Sicuti tum genus illud aut totum resolutum dicitur *divisum*.

Ad significandum numerum specierum aut partium dividentium vocabula graeca ex verbo *τέμνω* feco, in usu sunt, *dichotomia*, *trichotomia*, &c.

§. 70. Ex consilio & natura justae divisionis sece dant hae regulae:

1) Membra universa dividentia oportet esse adae-

adaequata suo diviso, h. e. nec plus nec minus complecti, quam divisum.

- 2) Membra dividentia oportet esse inter se separata.
- 3) Membrorum dividentium ordo probabilis esse debet.

CAPVT IV.

DE STVDIO PERFECTIONIS NOTIONVM.

De redactione notionum abstractarum in classes.

§. 71. Notae notionum, quibus tanquam lineamentis notiones illustrandae atque distinguendae sunt, sunt ipsae notiones. Itaque quemadmodum pictoris ad clariorem colorum cognitionem interest scire, quaenam sint pigmenta simpliciora, ex quorum compositione deinde infinita colorum varietas fieri possit; ita fere illustrationi & distinctioni notionum luculentum fundamentum substratum erit, si redegerimus in pauciores classes notiones simpliciores, ex quarum compositione infinita notionum varietas oritur.

§. 72. Archytae Tarentino aut quisquis auctor est, hujusmodi consilium fuit, cum ex cogitavit *decem categorias*, quas Scholastici deinceps *praedicamenta* dixerunt. Eae erant *substantia*,

32 PARS I. CAP. IV. DE STUDIO

tia, quantitas, qualitas, actio, passio, relatio, quando, ubi, situs, habitus. Sed cum ea divisione fere in omnes impingeret leges probae divisionis, merito ut incepta jam pridem fuit elevata & explosa.

§. 73. Sicut illud quam minime videtur, per quod visio fit, h. e. oculus quam minime cernitur directo à se; ita quam minime distinete se ipsum directo cognoscit animus. Distinctissima quaeque cognitio nostra versatur in corporibus, quorum partes essentialis oculis subjectae esse possunt. Itaque simpliciores notiones, quae possint in distinctas classes redigi, erunt notiones repraesentantes res corporeas.

§. 74. Fundamentum omnium eorum, quae de corpore cogitari possunt, est in genere extensio. Ejus vero extensionis genera sunt duo, quorum alterum in altero fundatum est. Alterum apponit sibi partes primam, secundam, tertiam, &c. Alterum se ipsum ponit ad partes primam, secundam, tertiam, &c. Hoc volumus dicere. Extensio corporis duplex est: *Extensio*, quae proprie ita dicitur & *motus*.

§. 75. Quoquo modo notionem utramque explicamus, videtur motus esse extensionis proprie ita dictae quasi species foror, ejus ad varietatem universitatis corporum analogicum complementum, & quasi extensio secundaria. Sicut sermo sese latenter ad rationes naturae accommodavit, ita ipsa natura non modo dicta-

vit

vit vocabula extensionis & motus inter se permiscendi usum, sicut dicimus: *murus surgit in altum* &c. Sed & docuit in Mathematicis solitas illas figurarum ex rationibus motus factas definitiones genéticas. Tum quoque plurima reliqua, quae de natura & regulis motus tenenda sunt, respondent iis, quae ad extensionem proprie ita dictam pertinent. Est ceterum motus ita ad extensionem proprie dictam accessorius, ut negatis plane corporibus, quae praetereat, notio motus evanescat &c.

Ex hac quidem duarum notionum ordinatione hunc primo fructum licet capere, ut melius intelligamus fundamentum analogiae inter notiones loci & temporis; si quidem ut supra dictum fuit, notio *spatii* est abstracta à notione corporis aequabilis extensio; notio *temporis* abstractus à notione corporis aequabilis motus.

§. 76. Extensionis triplex est consideratio. Si consideratur tantum in genere numerus aequalium partium, sit *notio quantitatis*, quae tunc proprie *numerus* dicitur, si ratio initur ex partibus distinctis. Si considerantur ternae extensionis directiones, h. e. longitudo, latitudo & profunditas habere infinitam multitudinem ternarum rectarum linearum, harum cogitatae certae longitudines pariunt cogitationem limitum tanquam lineae. Notio vero lineae limitum facit notionem *figurae*. Haec porro, postquam, non habita ratione quantitatis totius, abstrahitur proportio partium lineae inter se,

ad fert notionem figurarum earundem in magnitudine quavis. Tandem, si cogitantur inter certum corpus & aliud aliquod corpus in certam directionem numerus partium spatii vel nullus vel aliquis sit notio *situs*.

Itaque extensio diverso modo considerata facit tres notiones generales: *quantitatis*, *figurae* & *situs*; omnes abeuntes ad notionem numeri partium.

§. 77. Sicut notio extensionis proprie ita dictae, sic quoque notio motus sese dissolvit in tres notiones generales. Nam & *quantitas* & *figura* & *situs motus* aestimari possunt ex quantitate, figura & situ extensionis illius, cuius partes praetercurrit. Sic motus ex quantitate dici potest trium milliarium; ex figura, rectus; ex situ motus existens per haec vel illa corpora. Sed situs motus abstracti facit notionem determinati temporis ad quaestionem quando. Quantitas vero percursi spatii comparata ad quantitatem temporis facit notionem celeritatis aut tarditatis motus, sive sic dictae in specie quantitatis motus.

§. 78. Quod si porro in differentia elementorum corporum pro quantitate gradus assumimus; praeter quantitatem figuram & situ corporis ejusque partium ratione tam extensionis quam motus, non aliae varietatis corporum rationes possunt cogitari. Ars vero, quae dicitur combinatoria, docet, quam horribilis

ribilis fieri numerus variationum possit in re, cuius vel triginta genera partium diversarum transpositioni obnoxia sunt.

§. 79. Seriem continentem motus comparabimus cum linea. Quod in hac linea tanquam pars prima cogitatur, dicitur *principium*, sicut illud *subjectum*, in quo principium cogitatur latere, *causa*. Saltem videtur haec prima esse notionis causae origo in infantibus, quibus videtur corpus causa esse & principium continere, quamvis re vera non contineat. Quod cogitatur tanquam pars posterior dicitur *effectum*: Quod inter causam & effectum intermedium est, id dicitur pro re nata, *instrumentum* vel *medium* &c.

§. 80. Quoniam causarum non omnium eadem est ratio; data sunt sua cuique generi diversa nomina, qualia sunt *concausa*, *causa efficiens*, *solitaria*, *socia*, *subordinata*, *sufficiens*, *insufficiens*, *immediata*, *mediata*, *impulsiva*, *interna*, *externa*, &c. quae quid significant, ipsa facile per se docent. Causa *moralis* item *finalis* &c. plane ad mentes pertinent.

§. 81. Commemoratae notiones simpliores, quoniam earum representatio in numero partium versatur, nihil per se pertinent ad naturam mentium, substantiarum simplicium. Quod vero res corporeae clarius & distinctius sub intellectum initio eccliderunt, factum est, ut homines fuerint per se propi, ut

illis notionibus res animi repraesentantibus, quae in aliquam obscuram similitudinem cum rebus corporum cadere videbantur, etiam nomina imponerent, imposita initio rebus corporeis; praesertim, cum insuper multae proprietates mentis aestimari possint ex effectis, inde in corpora profectis. Sic magnitudo animi humani est ejus gradus, qui aliquando aestimari potest ex quantitate eorum effectorum, quae inde ad corpora manant. Sic situs ita de mente cogitari potest, ut cogitetur ibi esse, ubi operatur, ibique praesertim, ubi quam maxime operatur &c.

§. 82. Corpus cogitatur esse causa, si animus vel per ruditatem ignorat, corpus tantum bruta passione impulsum moveri, vel sese dedita opera avertit ab illis antecedentibus, quae principium verius continent. Itaque evenit, ut, postquam notio causae initio per occasionem rerum corporearum orta esse potest, deinde cognoscamus, causam & actiones mentibus tantum, vero interno principio agilibus, tribui debere.

§. 83. Itaque quod quidem ad res corporreas attinet; ordinatores rerum corporearum quasi categoriae fundari possunt in notionibus *quantitatis, figurae & situs, corporis totius & partium, ratione tam extensionis quam motus*. Nam nisi agatur notio aliqua corporis abstracta, ratione extensionis corporis distincte cognoscendi

scendi quaestiones esse poterunt; quantum, *qua figura & ubi fuit* corpus ejusque singulatim partes? ratione motus, per *quantam distantiam, qua figura & ubi permotum est* corpus ejusque singulatim partes, tum ex abstracto motu *quamdiu & quando?* Sicuti in quaestione *quamdiu* comparata ad quaestione *per quantam distantiam* quaestio inheret *quam celeriter* motum est corpus.

Sequitur linea rerum corporearum continentium, cuius illud corpus quasi pars est; & quidem ratione extensionis hae quaestiones erunt; *quae loco priora & posteriora atque his omnibus parallela sint*, in quibus insunt quaestiones *quae sint anteriora, dexteriora, sinistiora, subjectum, adjunctum, &c.* ratione vero motus; *quae in eadem linea tempore priora & posteriora atque his omnibus tempore parallela sint*, in quibus insunt quaestiones, *quo principio, quibus concavis* corpus ejusque partes, & motus ejusque partes ortae sint; tum *quae ejus corporis adjuvantes causae sint, quae effecta &c.* Quae quidem singula omnia in easdem quaestiones recurrere possunt.

§. 84. Si rei alicui nomen imponitur, ipsius illius impositionis causae pars h. e. impositionis occasio notio rei est: notionis vero occasio ipsa res est. Itaque *notatio* sive *nominatio rei* erit, ut ita loquar, in praedicamento effectorum.

§. 85. *Qualitas* quidem *corporum* sunt quantitas, figura & situs partium confuse perceptarum, & inde resultans determinatus totius & partium motus. *Qualitas mentium* solummodo sunt vires earumque inter se comparati gradus. *Corpus*, cuius aliqua qualitas ejusmodi est, ut ejus notio in animo incurrat in identitatem notionis qualitatis alterius corporis, dicitur pleno jure *simile*, sicut negotium incursum illos observandi *comparatio*. Itaque quod comparisonis occasio est qualitas corporis ejusque notionis incursum in identitatem notionis qualitatis alterius, in praedicamento effectorum quoque erit *comparatio*.

§. 86. In summa: Ex superioribus classibus notionum sibi quis facere possit ejusmodi ordinem locorum topicorum, sive rerum aut cogitationum, ut vix quicquam fugere possit non modo eorum, quae de re aliqua corporea scimus, sed & earum notionum, quae incidere possunt in compositionem notionis hucusque confusae. Semper enim expedita ratio est primo de ipsa rei corporeae natura ratione tum extensionis, quam motus totius aut partium cogitare, dein seriem continentem causarum & effectorum hic illic concurrentium aut divergentium cum suis parallelis ita pedetentim perfequi, ut in singulis illius seriei articulis percurramus locos & ordinem cogitandi eundem.

Ac haec

Ac haec quidem de prima ratione studii perfectionis notionum, de redactione notionum, res quidem in primis corporeas repraesentantium, in pauciores classes.


De reliquis partibus studii distinctarum notionum summatim.

§. 87. Notiones earum rerum, quae sunt extra mentem, nisi eas Deus contigua quasi manu in animum informaverit, informantur omnes ex suis exemplis per organa sensuum, excipiendae ab animo conscientia: sicut, quando res cognoscendae per se sensus fugiunt, informatione tamen proficiscitur per notas & signa rei cognoscendae tam naturalia, quam arbitraria, qualia sunt verba sermonis, & inde per sensus. Itaque primo quidem in studio distinctarum notionum ad adjuvandam conscientiam per omnia attentione animi opus est. Dein illud studium postulat curatum usum sensuum, &, cum agitur notio corporis, cuius notarum obscuritas posita est vel in subtilitate partium vel in longinuitate, adjumenta sensuum artificialia.

Attentio in primis necessaria est ad distinctionem notionum abstractarum, ut observemus, quae, cum notio excitatur, constantiter simul excitantur. Cum agitur notio rei cognoscendae ex suis signis vel naturalibus vel arbitrariis, postulatur attentio facta ad experientiam, & quod omnino ad signa verborum attinet, peritia sermonis, tum v. g. usus Lexicorum, in quibus ju-

stae rerum definitiones &c. Ac haec hoc quidem loco tantum obiter.

Notio distincta est, cuius notae noscuntur clare. Notio, si cogitatur cum suis notis, per se abit in formam cognitionis (propositionis.) Quare, quaecunque pertinere possunt ad studium distinctarum cognitionum, pertinent quoque hic loci ad studium distinctarum notionum solitariarum. Quod vero huc pertinentia praecpta in ea parte digniorem locum nanciscuntur, quae agit de studio distinctarum cognitionum, uberior eorum explicatio hinc illuc in partem libri proximam rejicitur.



PARS II. DE COGNITIONIBVS.

CAPVT I.

DE NATVRA COGNITIONVM.

§. 88.

Duae ideae consociatae cum data illa opera, ut altera alteram afficiat (a) h. e. altera alterius quasi lineamentum videatur esse, dicentur nobis *Cognitio*, sicut, si verbis expressae sunt, *propositio*, *enunciatio*. v. g. Cum iesus minus iultam notionem Dei in animo feminae Samari-